Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

duc ad tribunum. Habet enim aliquid indicare illi. Et ille quidem assumens eum duxit ad tribunum et ait. Vinctus paulus rogavit me hunc adolescentem perducere ad te, habentem aliquid loqui tibi. Apprehendens autem tribunus manum illius secessit inde cum eo seorsum et interrogavit illum. Quid est quod habes indicare michi? Ille autem dixit. Iudeis convenit rogare te ut crastina die paulum producas in concilium, quasi aliquid certius inquisituri sint de illo. Tu vero ne credas illis. Insidiantur enim ei ex eis viri amplius quam .xl. qui se devoverunt non manducare neque bibere donec interficiant eum. Et nunc parati sunt expectantes promissum tuum. Tribunus igitur dimisit adolescentem precipiens ei ne cui loqueretur quoniam hec sibi nota fecisset. Et convocatis duobus centurionibus dixit illis. Parate milites ducentos ut eant usque cesaream, et equites .lxx. et lancearios ducentos a tercia hora noctis. Et iumenta preparate ut imponentes paulum salvum perducerent ad felicem presidem. Timuit enim ne forte raperent eum iudei et occiderent, et ipse postea calumpniam sustineret, quasi pecuniam accepisset. Scribens et epistolam continentem verba hec. Claudius lysias optimo presidi felici salutem. Virum hunc comprehensum a iudeis et incipientem interfici ab eis superveniens cum exercitu eripui, cognito quia romanus est. Volensque scire causam quam obiciebant illi, deduxi eum in concilium eorum. Quem inveni accusari de questionibus legis ipsorum. Nullum vero dignum morte aut vinculis habentem crimen. Et cum michi perlatum esset de insidiis quas paraverant illi, misi eum ad te, denuncians et accusatoribus ut dicant apud te. Vale. Milites ergo secundum preceptum sibi assumentes paulum duxerunt per noctem in antipatridem. Et postera die dimissis equitibus ut irent cum eo, reversi sunt ad castra. Qui cum venissent cesaream et tradidissent epistolam presidi, statuerunt ante illum et paulum. Cum legisset autem et interrogasset de qua provincia esset, et cognoscens quia de cilicia esset, audiam te, inquit, cum accusatores tui venerint. Iussitque in pretorio herodis custodiri eum.

XX.IIII.

Post quinque autem dies descendit princeps sacerdotum ananyas cum senioribus et tertullo quodam oratore, qui adierunt presidem adversus paulum. Et citato paulo cepit eum accusare tertullus dicens. Cum in multa pace agamus per te et multa corrigantur per tuam prudentiam, semper et ubique suscipimus optime felix cum omni graciarum actione. Ne diutius autem te protraham, oro te breviter ut audias nos pro tua clementia. Invenimus hunc hominem pestiferum et concitantem seditiones omnibus iudeis in universo orbe, et auctorem seditionis secte nazarenorum, qui etiam templum violare conatus est. Quem etiam apprehensum voluimus secundum legem nostram iudicare. Superveniens autem tribunus lysias cum magna vi eripuit eum de manibus nostris, iubens accusatores eius ad te venire. A quo poteris ipse iudicans de omnibus istis cognoscere de quibus nos accusamus eum. Adiecerunt autem et iudei dicentes se hec ita habere. Respondit autem paulus annuente sibi preside dicere. Ex multis annis